

WILHELM ALBERT VON MASSENBACH

**Meletemata de eo, quod publice per
magistratus fieri debet, singulis non facile
concedendo ut et de dvellis in specie**

Regiomonti
1773

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book. EOD provides access to digitized documents strictly for personal, non-commercial purposes. For any other purpose, please contact the library.

- Terms and Conditions in English: <http://books2ebooks.eu/odm/html/utl/en/agb.html>
- Terms and Conditions in Estonian: <http://books2ebooks.eu/odm/html/utl/et/agb.html>

More eBooks

Already a dozen libraries in more than 10 European countries offer this service.

More information is available at <http://books2ebooks.eu>

42852.

MELETEMATA
DE EO, QVOD PVBLICE PER MAGISTRATVS
FIERI DEBET, SINGVLIS NON FACILE
CONCEDENDO

VT ET DE
D V E L L I S
IN SPECIE

QVAE
PRAESIDE
WILHELM. BERNHARD. JESTER,
J. V. D. ET P. O. II.

BIBLIOTH:
ACADEM:
DORPAT:

AVG. BORVSS, REG. A CONSILIIS CRIMINALIBVS, ALVMNORVM
GROEBENIANORVM EPHORO, HONORARIO REG. TEVT.
SOCIET. MEMBRO, H. S. ACAD. RECTORE
HOR. X. MAT. D. XXVIII. MAII A. R. S. MDCCLXXIII,
PVBLICE DEFENDENDA SVSCIPIET

WILH. ALB. DE MASSENBACH, *Eq. Boruff.*

OPPONENTIVM SPARTAM ORNATVRI SVNT
AHASVERVS DE BRANDT, *Eq. Boruff.*
IOH. CHRIST. MÜLLNER, *Neuboff ad Memel Boruff.*
IVR. VTR. CVLTOR.

REGIOMONTI,

TYPIS SACR. REG. MAIEST. ET VNIVERS. TYPOGRAPHI G. L. HARTVNGH.

MAECENATIBVS
INDVLGENTISSIMIS

ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
IACOBO FRIDERICO
DE RHOD
S. R. M. IN PRVSSIA
ADMINISTRO STATVS ET BELLI INTIMO
SVMMI APPELLATIONVM JVDICII PRAESIDI EMINENTISSIMO
SVPREMO REGNI BVRRGRAVIO
RERV M ACADEMICARVM NEC NON COLLEGI STIPENDIORVM
DIRECTORI GRATIOSISSIMO
HEREDITARIO DOMINO TERRARVM SCHROMBEHNEN,

Klein laut 16.

ILLVSTRISSIMO, GENEROSISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
FRIDERICO ALEXANDRO
DE KORFF

S. R. M. IN PRVSSIA

STATVS ET BELLI ADMINISTRO INTIMO

REGNI PRVSSICI CANCELLARIO

IVDICII AVLICI PRAESIDI EMINENTISSIMO

KERVVM FEVDALIVM ET MONTIS PIETATIS DIRECTORI

AC CAPITI SVPREMO.

HEREDITARIO DOMINO TERRARVM BLEDAV, KORBEN,

MOLEHNEN, WEDDERAV, RIBBEN, &c.

REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMO,
GENEROSISSIMO,
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
FRIDERICO GODOFREDO
DE GROEBEN
S. R. M. IN PRVSSIA
STATVS BELLIQVE ADMINISTRO INTIMO
SVPREMO PRVSSIAE MARESCHALLO
CONSISTORII PRAESIDI EMINENTISSIMO
ORDINIS IOHANNITICI EQVITI
HEREDITARIO DOMINO TERRARVM WESLIENEN, SCHOENKADE,
ROEDERSDORFF &c.

REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMO,
GENEROSISSIMO,

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

LEOPOLDO

S. R. IMP. COMITI DE SCHLIEBEN

S. R. M. IN PRUSSIA

ADMINISTRO STATVS ET BELLI INTIMO

COLLEGII PVPILLORVM CVRAM GERENTIS PRAESIDI

EMINENTISSIMO

RERVM SCHOLASTICARVM DIRECTORI AC CAPITI SVPREMO

ORDINIS IOHANNITICI EQVITI.

HEREDITARIO DOMINO TERRARVM ALT-HAVS, GERDAVEN,

SANDITTEN, &c.

PRUSSIAE PAPINIANIS
IVSTITIAE STATORIBVS
MVSARVM PATRONIS

LEVIDENSES HASCE PLAGVLAS

IN SVBMISSAE

VENERATIONIS DOCUMENTVM
CVM VOTO PERPETVAE INCOLVMITATIS

D. D. D.

HVIUS DISSERTATIONIS

RESPONDENS

WILH. ALBERTVS DE MASSENBACH.



§. I.

Non solum legibus armatam esse oportet rempublicam, vt vita hominum a ferarum immanitate differat, sed & Magistratibus opus est, qui, vt legibus suis constet honos, sapientissimo fidelissimoque operantur ministerio *l. 2. §. 13. D. d. O. J.*

Desperanda sane esset conditio hominum, si omne salutis expediendae medium in vi positum esset, remoto iudice, vero iustitiae sacerdote, iniquitatis vindice. Haud raro enim homo homini est inimicus, alter alterius commodis inhiat, alterius iuribus detrahere studet. Accedit larga litium seges, quam parat praedudiciorum vis & efficacia. Alter obnubilata mente iura sibi fingeret imaginaria, armata manu contra quoscunque vindicanda; alter laesionibus putatiuis irritatus ad vindictam procederet; & sic vterque hostis fieret, hostiliter excipiendus. Deinde in defensione haud pauci, in persequendo eo, quod re vera debetur, in vindicandis veris iniuriis modum excederent. Adfectus enim, concitationes mentis vehementiores, facillimo pertinacius contententes negotio in iram agunt atque furorem. In hac rerum perturbatione vero non possent non omnia hominum iura perire vel saltem periclitari. Incerto enim Marte certamina ineuntur, & haud raro victor discedit non iure sed viribus potior. His incommodis obviam iri nequit, nisi iudiciorum vigor iurisque publici tutela, propriae priuatorum hominum vltioni inimica, in medio constituantur, *l. 14. C. d. Judaeis*; nisi Magistratus adsint, qui post plenariam causae cognitio-

A

cognitionem cum effectu statuunt, vt suum cuique tribuatur, & malis hominibus provincia purgetur. Hinc in rebus publicis bene ordinatis secundum *l. vn. C. ne quis in sua causa iudicet*, in re propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiae; & singulis haud concedendum est, quod per magistratum publice fieri potest, ne occasio fiat maioris tumultus faciendi *l. 176. D. de R. J.*

§. 2.

Aliquando tamen singulis conceditur, quod non nisi publice per illos fieri deberet, qui iuri dicundo praesunt. Vt nostram evincamus thesin, neutiquam prouocamus ad *l. 2. C. quando licet unicuique sine iudice se vindicare vel publicam deuotionem*. Quamuis enim ius exercendae publicae ultionis, aduersus illos, qui publicam deuotionem i. e. fidem reipublicae sacramento datam laedunt, desertaque militia violant, (*PEREZ. ad l. all.*) cunctis concedatur, vix tamen promiscua exinde occidendi desertores licentia colligi potest, sed secundum legis *all. tenorem*, resistendi audaciae tantummodo velox cohaeret supplicium, & secundum *l. 2. C. de Desertoribus & occultatoribus eorum (12. 46.)* desertores si resistent, vt rebelles in ipsis temeritatis suae conatibus opprimi possunt. Patria vero nostra olim, vt ne delinquentis fuga magistratuum auctoritas fieret elusoria, gladium ultorem, repugnante tamen, vt coniecturamus, Themide, cuiuslibet priuato committebat, vt promiscuae omnium vindictae obnoxii essent fugitiui, qui nefando quodam ausu hanc sibi conciliauerant seueritatem. Vsitatus enim erat antehac processus banni, *Dr. LR. d. a. 1721. P. III. L. VI. T. I. A X §. 3.* cui sequentem accommodauerat vsus fori formulam sententiae:

Daß du N. und du N. aus dem Frieden in den Unfrieden gesetzt, und euer Ehr, Leib und Gut anrücklich, recht und friedlos verurtheilet, auch euer Leib und Leben wie eines Vogels in der Luft jedermann gemein, frey und erlaubt sey, euch beyde ohne alle Strafe und Entgeltung aller Orten, wo ihr in dem Königreich Preußen anzutreffen, zu entleiben und vom Leben zum Tode zu bringen, oder der Obrigkeit einzuliefern. Welches hiemit mänsiglich erlaubt und eröffnet seyn soll.

GEORGII GRVBE COMP. J. PRVT. ad L. VI. T. I.

A. IX infans

Expres

Expressior sane est haec formula sententiae in bannum declaratoriae, ac schema illud quod exhibet C. C. Bamb. A. 241 & C. C. Brandenb. A. 245. Pluribus gentibus communis olim erat proscriptio fugitivorum ob delicta atrociora, in thesi capitalia; & vetustas eius in Germania facili posset demonstrari negotio, si huius loci esset, argumento a scopo nostro remotiori inhaerere. Hoc tamen addendum est, non ubique eandem processui bannitorio vindicari posse formam tremendam atque funestam. Quid? quod Serenissimus Noster principis motus humanioris iurisprudentiae, quae fictam absentis confessionem reprobat, huic processui non nisi in crimine laesae Majestatis locum concedit,

INSTRVCT. vor die Preussische Justitz - Collegia. d. d. Berlin den 16. Septemhr. 1751. p. 38, §. 154. in dem alten Pr. RR. soll auf die Acht und Mordacht erkannt werden. Weil Wir aber wegen des dabey zu besürchtenden Mißbrauchs diese Macht und Gewalt aufzuheben nöthig finden: so soll außer dem Crimine laesae Majestatis nicht weiser darauf erkannt werden.

§. 3.

Haud raro etiam iusto dolori, quem temperare imbecillitas humana prohibet, indulgent leges ad eum modum, vt non solum excusatius illos peccare statuant, qui in calore iracundiae ad vindictam confugiant priuatam, sed & impunitatem iisdem spondeant. Sic non solum maritus impune, si in laeuiis coniugis amplexibus adulterum deprehendit, thori vindex fit; non solum pater adulterae, iniuriam solliciti potest, trucidando vel criminis vtrumque vel alterutrum socium, sed & doloris ratio cumulatissime vxori, contra maritum fidei coniugalis violatorem armatae, suffragatur.

C. C. C. A. 120. cum additamento PROIECTI NORICI quod exhibet

JO. PAVL. KRESS in Com. ad C. C. C.

C. C. C. A. 150. & JO. SAMVEL. FRIED. de BOEHMER in suis Meditat. ad C. C. C.

Bambergische H. G. O. A. 145. & 175.

Brandenb. V. G. O. d. 20. 1582. A. 147. & 177.

de BOEHMER ad. CARPZ. Pr. R. Crim. P. II. Q. 52. Obs. I.

Prfl. L. X. P. III. L. VI. T. VI. A. 12. §. 7.

Secundum Ius Romanum diuerforum temporum diuersa fuit ratio. Si in rem ad Legis Iuliae de Adulteriis placita inquiramus, libido in alienas

alienas vxores & atrox per eandem thalamis familiisque illata iniuria, priuata quidem vindicari poterat manu, sed tot tantaeque gladio vltori obiciebantur difficultates, vt vix dolori, quae debetur, contingeret excusatio. Patri adulterae, non auo, vindictam priuatam exercere licebat. Patri subministrabat arma, vel patria potestas, vel auctoritas quam vi patriae potestatis conuentioni filiae in manum mariti accommodauerat. Et sic haud raro respectus ad dolorem patris cessabat, nunquam vero dolori aui parata erat excusatio & venia, si ad internicionem vsque adulteri procederet. Deinde pater testis iniuriae sibi illatae supponebatur. Solent quidem nefandi huius criminis rei latebras quaerere, & excubitores voluptatumque administratos habere quam fidelissimos; & sic infrequens vindictae huius fuisse videtur occasio. Sed quum ad excusandam eandem non solum acutus doloris sensus, sed & impetus, cui temperari nequit, requiratur, omni adprobatione digna fuisset dispositio haecce legalis, nisi impunitas loco, vbi pater sibi vltionem indulgebat, ad eum adstricta fuisset modum, vt insuper habito dolore paterno, omnis ab habitatione laesi recessus, moecho in ipso flagitii actu, contra repentinum vindictae paternae furorem asylum constitueret, non nisi grauissimis sub poenis violandum. Interdicta denique patri erat omnis contra adulterum vltio, si de sanguine suo indulgentius iudicans filiae parcendum esse censeret. Vnico quasi actu continuato & vno velut ictu adulter vna cum filia erat occidendus. Hinc singularis in *l. 32. D. ad L. Jul. de Adult.* quaestio de filia, fato magis quam patris voluntate seruata. En caput legis potissimum ad manum patris exarmandam directum. Plerumque enim pietas paterni nominis consilium pro liberis capit, & verecunda sane est cogitatio patris, quae caedem filiae execratur.

Quoad maritum eadem Lex Iulia permittit, vt vindex sit contumeliae per adulterum sibi illatae, siue sit pater familias siue filius familias, modo gladium stringat non contra vxorem, (quam tamen olim non solum ob adulterium, sed & ob vini delibationem, quia temulentia primus ad impudicitiam gradus est, necare poterat;) sed contra adulterum, & contra hunc nec indistincte, nec vbique, sed si vilior eiusdem conditio nouas flagitio conciliet accessiones, & si locus pessimae cuculi fabulae, quam moechus ludit, ipsum sit domicilium mariti. Requiritur praeter ea, vt fata maritum tristem huius spectaculi constituent testem.

MOSAIC. ET. ROMAN. LL. COLL. T. IV. 2. 3; LL, 16. 20. 21.
22. 23. D. ad L. Jul. de adult. l. 1. D. ad L. Corn. de Sicariis.

BY-

BYNCKERSHOECK de. iure occidendi liberos. HOFFMANN.
ad L. Jul. de Adult. coerc. Lib. sing. VOETIVS ad ff. L. 48.
T. 5. §. 12.

Omnes hae maritum respicientes sanctiones tantum abest, vt testatum reddant, iusto & vehementissimo eiusdem dolori, eam, quae debetur exhiberi indulgentiam, vt potius arctissimis circumscribatur vindictae impetus limitibus. Nam secundum l. 22. §. 4. ff. ad L. Jul. de adulteriis, mariti calor & impetus facile decernentis fuit refracnandus. Et sane, si tota de occidendo adultero perpendatur L. Iuliae sanctio, dubium est, vtrum patriae & maritalis potestatis exhibeat reliquias, an adfectuum violentiae velificari velit. Quae quum ita sint, zelotypiae praeter ius fasque indulgere videtur NOVELLA. 117. c. 15. quae non solum permittit, vt maritus insidiis, quas castitati vxoris strui suspicatur, per triplicem denunciationem obicem ponat, sed & continuatam contra prohibitionem cum vxore conuerationem, in sua, vel vxoris, vel adulteri domo, vel in suburbanis, vel in popina, ferali vindicet manu.

§. 4.

Deinde in omni casu, vbi momentanea iudicis copia cessat, & a momentanea defensione, omnis expediendae salutis ratio pendet, exceptionem a regula obtinere, extra omnem dubitationis aleam positum est. Status tunc hominum reuiuiscit naturalis atque primaeuus, vbi contra laesiones, quae non nisi momento declinari possunt, natura cuique suam ipsius tutelam commendat, atque in infinitum ius tribuit defensionis. Ad sunt quidem leges, fora, iudices; sed expectari nequeunt. Imminet malum, quod declinari debet, reparari nequit; quod praesentissimum requirit auxilium, omne respuit ex post adhibendum remedium. Vocatur eiusmodi suam aliorumque securitatem, tuendi medium extemporaneum, nulla iudicis auctoritate suffultum, cui periculum in mora occasionem suppeditat, inprimis si ad internecionem vsque aduersarii extendatur, tutela inculcata, & ob limites quibus circumscribitur, moderamen inculpatae tutelae. In Germania quidem homicidio necessario, compositionis & faidae obligationem cohaesisse testatur HEINECCIUS *J. Germ. II. §. 264.*, sed tantum abest vt poenam respiciat, quam ne Canones quidem per poenitentiam ecclesiasticam, homicidae imperatam, intendisse videntur,

vt potius offensae familiae fauorem concernat. Requirebatur praeter ea publicum testimonium & luculentissimum documentum honoris sanguini humano debiti, id quod apud plures gentes & in homicidio casuali solenne fuisse ex elegantissima EV. OTTONIS praefatione ad T. III. THESAURI OTTONIANI, §. 4. in fin. edocemur. Apud Graecos exilio voluntario fortuiti casus luebantur l. 16. §. 3. ff. de Poenis. Numa pro capite occisi in Comitio arietem offerre iubebat.

§. 5.

Quoad modum in hac sui defensione seruandum varia esse potest inspectio. Sed in plurimis casibus simplicissima ipsa recta ratio & quae cum eadem amice conspirant LL. diuinae & humanae suppeditare videntur principia, ad quae facillimo negotio omnis haec exigi & expediri potest controuersia. Haec in primis adhibenda est cautio, vt a defensione sollicitè separare studeamus vindictam, longissime ab eadem remotam atque seunctam. Declinare licet periculum, damnum e contraria parte, si re vera iam datum sit, vlcisci & vindicare, nefas est & statui, de quo loquimur, ciuili, parum conueniens. Intacta seruare licet iura atque illibata, si scilicet iudex desit, tempestiueque haberi nequeat, post vulneratam vero causam non nisi remedia iudicialia quaerenda sunt. Omnes tamen LL. sicuti cum imbecillitatis humanae sensu ferri, sic & adplicari debent. Hinc etiamsi statui defensionis innoxiae particula quaedam vindictae se iungat atque immisceat, non tamen omnia ad viuum rescanda sunt, sed facili parata est excusatio inuaso, terminos defensionis, quos ob mentis perturbationem exacte seruare non potuit, paululum transilienti.

BOEHMER ad CARPZOV. P. R. C. P. I. Q. 30. Obs. II.

§. 6.

Requisita, quae inculpatam fundant tutelam ad tria reduci possunt momenta.

- 1) Adsit offensio, quae absoluitur quocumque facto, quod inuaso repentinum & improuisum minatur periculum, etiamsi nulla mentis libertas, ex parte eius, qui impetum facit concurrat, modo ad insultum inferendum nullum ius, ad eundem recipiendum nulla concipi queat obligatio, siue armis lethiferis instructus sit aduersarius, siue furibunda eiusdem ferocitas & robur, illorum usum suppleat. Jus Prutenicum L. VI. T. VI. A. 15. §. 6. necem aggresso.

gressoris armis destituti ad excessum inculpatæ tutelæ quidem refert, iudicem tamen attendere iubet ad qualitatem personarum & circumstantiarum.

- II.) Adsit præsens grauißimum periculum læsionis, quæ si semel illata, omnem, saltem plenariam dampni resarcitionem auxilio iudicis quaerendam respicit.
- III.) Eligatur medium defensionis, fini obtinendo accommodatum, licet durissimum sit, & aggressori funestum patet exitium, modo alia commodior honestaque expediendæ salutis ratio desit.

§. 7.

Si ad primum respiciamus requisitum, prætextus defensionis esset, non species inculpatæ tutelæ, si quis ad extrema prouolaret, ob periculum vitæ præsentissimum quidem, sed quod negotium, dubiæ & ancipitis fortis, ex condito susceptum, comitatur. Hinc in Duellis ne prouocatis quidem opitulatur exceptio defensionis. Alia enim in promptu sunt remedia, quæ prouocato plenissimam illamque honestissimam spondent securitatem. Eadem est inspectio, si quis alterum ad animi exardescentiam, & quæ eiusdem comes est, vindictæ cupidinem iniuriis læcessuerit, quas gratis excipere stupor sensus esset, & vt ita dicamus, indolentia. Vt enim contra huius insultum se defendat, & ex moderamine inculpatæ tutelæ, spem impunitatis concipiat auctor rixæ, vetat natura rei, vetat expressis verbis Jus Prutenicum, LX. l. all. A. 15. §. 2. Offensionem sane pro se allegare nequit, qui omni studio id egit vt offenderetur. Cautus tamen sit iudex in ponderandis omnibus facti circumstantiis. Quid enim, si quis fatali, in verbera caedesque degeneranti rixæ occasionem quidem dederit, sed remotissimam, illamque ne coniecturando quidem præuisam? Nonne sæpissime leue iurgium, sola alterius ambitione increscens, aut innocens reuera iocus sufficit ad excitandum hominum furorem? Auctori leuioris eiusmodi iurgii contra turbulenti ingenii præcipitationem omnia defensionis beneficia integra manent atque salua.

LEYSERI M. ad D. Sp. DC. M. 19.

§. 8.

Quoad inuasorem perinde est, vtum nefario aultu, an culpa, an solo facto physico, quale in furioso concipi potest, in alterum irruat, eundemque periculo exponat. Non enim inuasus fit vindex iniuriæ sibi

8
sibi illatae, sed salutis suae custos & propugnator contra quoscunque casus aduersos eidemque inimicos, quatenus eosdem declinare vires permittunt, leges non prohibent. Multo minus alium admittere possumus respectum personarum, si in terminis iniustae atque iouaso noxiae offensionis versentur. Lubenter tamen concedimus, non necessitatem defensionis esse sed potestatem *arg. l. 40. D. de Judic.* Hinc laudabilius aliquando est, mortem pati, quam inferre aduersario, cuius vita forsitan nobis est sacrosancta, vel societi insignia spondet emolumenta.

§. 9.

Secundum, quod in moderamine inculpatae tutelae supponitur requisitum, varias admittit inspectiones. De periculo vitae nemini dubium esse potest, quin licita eius sit propulsatio, etiamsi cum nece aduersarii coniuncta. Quid? quod ne primum quidem idem, qui forsitan decretorius esse, & ius defensionis elusorium reddere potest, expectare tenetur inuasus, modo ea sit aggressoris conditio, vt probabiliter dira quaeuis ab eodem immineant. Contra Thrasones vero insurgere & quascunque minas pro praeconio grauioris periculi habere, dicamini aduersatur rectae rationis.

Pr. LX. l. c. A. 14. §. 2. A. 15. §. 4.

Idem defensionis fauor est, si membrorum integritas periclitetur. Nescimus, quid, quale & quantum intendat inuasor. Vulnere praemeditatum respuunt mensuram & vix periculum vitae, saltem remotum, abest a furibundo temerarii hominis in membra nostra impetu. Quoad pudicitiam, non quidem negamus, eandem vix eripi posse, si animus vere sit insons. Nihilominus tamen & contra vagam libidinem inculpatae tutelae iura defendunt magni nominis Jcti. Virgini imminet virginitatis ruina irreparabilis, nubendi honestae conditioni haud raro inimica. Nuptam vexant vestigia viri alieni in thoro, zelotypiae mariti fomitem subministratura. Vidua timet, vim sibi illatam manibus defuncti futuram esse dedecori. Quorum malorum repraesentatio, quem doloris sensum excitare queat, abunde docent Lucretia non in aduersarii, sed propria, contra ius fasque, saeuens viscera, & Virginius, filiae pectus transfigens, vt eandem a libidine Appii Claudii liberatam in libertatem vindicet. Accedit periculum mortis quam forsitan in violatam meditatur moechus, vt ne fisco scelus denuncietur. Secundum Ius Prutenicum de plenaria desperandum esse cen-

temus

femus impunitate. Facillimo tamen negotio a Serenissimi oraculo impetrandum foret, quod religio iudicis concedere nequit.

Bonorum porro defensionem, cum internecone eius suscipere, qui iisdem insidiatur, exorbitans quidem esse videtur & humanitati contrarium. Vita hominis enim nullo aere redimenda vix cum caducis & fragilibus comparari potest bonis. Sed iure optimo maximo & hanc expediendae salutis rationem in regula ab omni reatu absolvendam esse censemus, modo, quae reuiuiscens status primaeui indoles est, remoto vindictae studio, defensionem rerum nostrarum violentam non suscipiamus, nisi quatenus momentaneo eiusdem neglectui, irreparabilis damni metus cohaereat, quem nunquam in immobilibus, aliquando vero in mobilibus obtinere arbitramur, si forsitan fur excitato clamore a contrectatione cohiberi nequeat, & ob fugam hominis ignoti spes, implorato iudicis auxilio, bona recuperandi cesset. Nunquam exercitio iurium nostrarum, in primis si culpa aduersarii extorqueatur, iniuriae iuncta est labes. Calculum huic sententiae adiecit Lex diuina *Exod. 22. v. 2.* Quae sit Legum Romanarum dispositio docet

OTTO ad PVFFENDORFF. *d. O. H & C. Libr. I. Cap. V. §. 21.*
& in praef. ad T. III. TH. O. §. 10.

Consentit ius canonicum *c. 2. & 10. X. de Homicidio.* Adstipulatur denique Carolus V. in NEMESI. *A. 150.* Diuortium tamen facit ius Prutenicum *LR. P. III. L. VI. T. VI. A. 14. §. 8.* secundum quod ius defensionis arctioribus limitibus circumscribitur, ad eum modum, vt ob bonorum defensionem occidere nequam liceat aggressorem.

Vltimum quod moueri potest dubium, versatur circa honoris defensionem violentam. Secundum C. C. C. sanctionem permittitur, vt, si per commodum discessum periculum vitae quidem declinari queat, dedecoris ratio vero eidem iuncta sit, inuasus gradum listat, & aduersarium transfodiat. In tali vero casu inuasus ad extrema prouolat, non ob vitae discrimen, cui leuiori modo consulere potuisset, sed ob existimationis detrimentum, a quo non nisi sanguinolenta sibi cauere potest manu. Sic causa tantummodo remota licitae & violentae defensionis in vitae, proxima in existimationis periculo nititur. Quae cum ita sint, omnino illi indulgendum esse videtur, quem solitaria amoliendi dedecoris ratio prohibet, quo minus parcat vitae aduersarii. Forsan haec Legis Carolinae particula iuris

manuarii reliquis originem debet. Sed durant adhuc saecula praepreceptorum opinionum foecunda, quae, si non omnibus, tamen hominibus ad arma natis, durissima minantur, si iniurias fuga vitant, aut excipiunt, spe freti, quod iudices adsint easdem strenue vlturi. Dolemus vices illorum, quos nolentes ad eum fata trahunt modum, vt defensionem ineluctabilis imperet necessitas. Sed inculpatae tutelae terminos eosdem nevtiquam transire putamus, ob singularem vitae, in qua viuunt, conditionem. Si enim iniuriis incommoda cohaereant, reparari nescia, quae potest esse contra easdem iniusta defensio. Absit tantummodo vindictae studium, ob iniurias reuera iam perpeffas.

§. 10.

Plures enumerari possent exceptiones a regula, quae prohibet, quo minus singulis concedatur, quod publice per Magistratus fieri oportet; sed facilis est illarum ad triplicem, quam dedimus, inspectionem, reductio. Sufficiunt praeter ea casus, quos allegauimus, ad stabiliendam magisque confirmandam regulam in casibus haud exceptis, in quibus seuerissimas poenas dat temerarius omnis in propria causa iudex incompetens. *L. 13. D. quod meus causa* exhibet nobis fragmentum ex *CALLISTRATI Libro V. Cognitionum*, quod egregie ad nostra asserta corroboranda conducit: Extat Decretum *DIVI MARCI* in haec verba:

Optimum est, vt si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Cum Marcianus diceret, vim nullam feci, Caesar dixit, tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur, Vis est & tunc, quoties quis id quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem vllam debitoris, vel pecuniam debitam, non ab ipso sibi sponte datam, sine vilo iudice temere possidere vel accepisse, isque sibi ius in eam rem dixisse, ius crediti non habebit.

Conf. etiam *L. 7. D. ad L. Jul. de vi priuata* vbi idem rescriptum iisdem fere verbis exhibetur.

WESTENBERGII *Dir. Marcus s. Diss. ad Const. D. Marci Aurelij Antonini Imperatoris 39. in Westenberg. O. O. curante Jungio editis T. III. p. 321. SCHAVMBURG ad Struvium p. 310. P. LX, p. A, 1721. L. III. T. 5. A. 3. §. 7.*

§. II.

Quae quum ita sint, Duella non possunt non reprobari. Est vero Duellum certamen duorum ex condicto & serio armis susceptum. Hinc differt a certamine ex instanti subitoque, vtriusque tamen consensu, orto (Rencontre) Illud nil excusationis habet, hinc fere ubique seuerissimis sub poenis prohibetur. Quoad certamen e contra subitaneum, ira, breuis furor est, & hominum adfectibus, qui in calore rixae atque iracundiae moderamen vix admittunt, indulgendum. Duellum haud raro pari significationis passu ambulat cum bello; sic secundum LIVIUM L. I. C. 32. Romani puro pioque duello res quaerendas esse censebant, quas faciales frustra solemniter interveniente formula rituque ab hostibus repetiisse constabat. Huc etiam pertinet illud HORATII.

*Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento collisa Duello
stulorum regum & populorum continet aestus
L. I. Ep. 2. v. 6. 8.*

* Quum bellum aequae ac Duellum mutua absoluat hostilitate, Duellum, si placet, pro specie belli haberi potest. Nobis magis arridet arctior belli quam CORNEL. v. BYNCKERSHOECK in Q. J. P. l. 1. suppeditat figura, secundum quam bellum non nisi illis, qui suae potestatis sunt, i. e. liberis gentibus & hominibus in statu naturali viventibus convenit.

** Duellum quod aliis certamen singulare audit, diuidi solet in

I.) IMPROVISVM s. extemporaneum

II.) PROVISVM. s. praemeditatum.

I.) PVBLICVM quod reip. ergo suscipitur.

A.) DECRETORIVM, cuius bellissimam speciem nobis sistit Horatorum & Curiatorum trigemitorum fratrum certamen, de quo LIVIUS L. I. C. 24, & 25., nec ferme res antiqua alia est nobilior — Adest in eiusmodi casu bellum compendiarium, s. repraesentatiuum, ex quo maxima omnino in rempublicam redundari possunt comoda; sine magna clade enim, sine multo sanguine res inter gentes controuersa transigitur.

B.) PROLYSORIVM.

a.) REALE. Secundum LIVIVM L. 23. c. 46. CERRIVS JVBELLIVS cognomine TAVREA, Campanorum fortissimus eques, CLAVDIVM ASELLVM apud Romanos militantem prouocabat in arenam, ad decernendum ferro, daret opima spolia victus, an victor caperet. Aliam certaminis, quod non nisi virtutis demonstrandae ergo suscipitur, speciem exhibet Livius L. 7. C. 10. vbi in depingendo certamine TITI MANLII IVNIORIS cum GALLO elaborat. Dimicabatur inter vtrumque, vt constaret, vtra gens bello melior sit.

b.) AVGVRALE de quo TACITVS *d. M. G. C. 10* "Est & alia observatio auspicioꝝ, qua grauium bellorum euentus exploratur. Eius Gentis, cum qua bellum est, captiuum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt. Victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur", Quod auspicii genus sapientis viri commentum ILL. GEBAV-
ERVS vocare haud dubitat, & rationes, quibus suam superstruxit thesin nullam admittunt contradictionem. cf. GEBAVERI *Vestigia J. G. antiquissima, in C. Corn. Taciti Germania, obuia. Diss. 22. in fin.*

II.) PRIVATVM

a.) IVDICIALE cf. IO. CHRIST. BECKMANN *D. Historie politica de Iudiciis Dei*; D. I. C. H. DREYERS *Anmerkungen von den ehemaligen Duel-Gesetzen, und von einem seltenen und unbekanntem Codice, worinnen des Calhöfers Kamp-Recht befindlich.*

R. S. v. SAHME *Neine deutsche Schriften IX. St. von ganz außerordentl. Beweissthüchern in Rechts-sachen.*

SELCHOW *de Reliquiis Juris Manuarii §. 7.*

b.) EXTRAIVDICIALE, quod absque auctoritate Iudicis suscipitur a dissidentibus in causa priuata.

Sed in hac diuisione latior nostra Duelli idea supponitur. Est sc. Duellum secundum THOMASIVM in Obs. select. ad rem literar. spectant: J. IX. Obs. IV. pugna seria, a pari vtrinqꝝ numero personis boni alicu-

13
alicuius gratia suscepta. Nostra, quam suppeditauimus, definitio, nostro scopo conueniens, non nisi in Duellum popularissime sumtum, quadrat.

§. 12.

Ad euincendam Duellorum irrationabilitatem, ubi homines, tanquam gladiatores ad arenam damnati, subitis odiis armisque ad vltima discrimina committuntur, sufficiunt paucissima, quae sequuntur argumenta. In republica bene ordinata remedia in promptu sunt, quibus non solum laesionis reparatio quatenus possibilis est, obtineri potest, sed & interueniente poena, efficitur, vt & laedens & alii cautius mercari discant. Sic Duella absque necessitate suscipiuntur.

§. 13.

Duella vt plurimum suscipiuntur, antequam constet, vtrum laesio fuerit vera an putatiua, vtrum dolosa, quae poenam meretur, an culpola. Nam secundum IUVENALEM Sat. XIII. v. 80.

Est vindicta bonum vita incundius ipsa.

Nempe hoc indoliti, quorum praecordia nullis

Interdum, aut leuibus videas flagrantia caussis.

Quantulacunque adeo est occasio, sufficit irae.

§. 14.

Etiamsi vera sit laesio, eius reparatio tamen per Duellum est impossibilis, saltem vix alio modo cogitari posset, ac si inter litigantes conueniret, reparationem fieri debere, si victoria sit penes laesum. In eiusmodi casu vero is, qui de reparanda laesione conqueritur, abunde testatur, eiusdem parum interesse, vtrum laesio reparetur nec ne, & expeditius esset, reparationem laesionis a quocunque alio euentu minus periculoso suspendere. Accedit, quod absurdum esse videatur, reparationi laesionis iam illatae renunciare, sub conditione si noua interatur laesio. Conspirat nobiscum, BARCLAI Icon. Animor. C. III. 72.

Quae dementia! ritu ferarum non ratione sed impetu iniurias ulcisci,

rerumque suarum iudicium permittere paene scenicae arti, fortunaeque

saepe fallenti ipsam artem.

§. 15.

Sunt Duella secundum opinionem vulgi medium honoris reparatorium, cuius neglectui existimationis detrimentum imminet. Alter
B. 3
minus

minus honorifice de nobis sentit, idque verbis vel factis quae in nostrum contemptum tendunt, demonstrat. Adest Duelli caussa iustifica. Nam inualuit per totam fere Europam mos vindictam in eiusmodi casu propriam per Duella persequendi, de cuius rei origine consulenda IANI A. W. SLICHER *D. Jurid. de debita & legitima vindicatione existimationis, cuius recensum exhibent.* ACTA ERVDITOR. publ. A. 1718.

Cf. etiam HEVMANN'S Geist der deutschen Gesetze. Cap. 13. 5. Cap. 20. 6. I. H. CHRIST. DE SELCHOW *de reliquiis Juris Ma-
nuarii* §. 20.

Facillime vero demonstrari potest, ab omni ratione alienam esse, hanc amoliendi iniurias viam. Non ad exempla prouocamus Romanorum, aliarumque nationum politiorum, qui dimicationes priuatorum honoris vindicandi caussa ignorasse merito laudantur (*) Genio recentioris aevi enim facile forderent exempla antiquitatis, & quis ignorat, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari. Sed naturam ducem sequimur. Secundum huius Legem neutiquam omnis honoris vindicatio damnari potest, quamuis utique verum sit, non nisi delicto minui posse aut consumi hominis existimationem. l. 5. §. 1. *de extraord. cognis.* Quid enim si iniuriae iniuriatum suspectum reddunt de admissio facinore, quod non nisi famam potest fugillare, si suspicio ex neglecta existimationis vindicatione veritatis speciem foeneretur? (Forlan ipse Cato, quia Lentulo sputo conspurcatus ab omni vindicta alienus, illo placide absterso nil ad iniuriam referebat, nisi verba: *asserere possum, falli illum, qui ore te carere dixerit*, aliam ingressus fuisset viam, si iniuriae, exprobratio criminis iuncta fuisset.) Purgatione omnino opus est, sed absit purgatio vulgaris, quae omnem innocentiae demonstrationem aleae committit, quid? quod per Duellum impossibilis est. Sit enim penes laedentem, sit penes laesum victoria, quo fieri potest modo, vt aduersarius & alii melius de laeso sentiant post duellum, quam ante Duellum.

Burchesons Sittenlehre der Vernunft 2 B. 15. Abs. §. 6.
Quid? quod etiamsi vis amoliendae iniuriae Duello inesset, male tamen apud nos audiret, qui huius rei gratia factum suscipit, quod maiorem conciliat labem, quam fuit illa ipsa, quae per Duellum erat remouenda.

⊙ Grauis morum censor, in libro, quem titulus, Les MOEVRS ornat, elegantissime scribit, p. 217. "*Ces illustres Grecs, ces judicieux Romains, qui furent tour à tour les maîtres de l'univers, se connoissoient assurément en valeur; se fesoient ils un jeu de meurtre de leurs Compatriotes? L'épée, l'arc, & le bouclier étoient chez eux des instrumens inutiles pendant la paix.*" Similem

Similem fere in modum iudicat VOLTAIRIVS in opere, quod inscripsit: *Essais sur l'histoire générale &c. Tom. IV. Chap. CLX.* les Turcs sont fiers ils sont braves, & n'ont point l'usage de Duel; c'est une vertu, qui leur est commun avec tous les peuples d'Asie, & cette vertu vient de la coutume de s'être armés, que, quand ils vont à la Guerre. C'étoit aussi l'usage des Grecs & des Romains. Et l'usage contraire ne s'introduit chez les chrétiens, que dans les temps de barbarie & de chevalerie, ou l'on se fit un devoir, & un honneur de marcher à pié avec des éperons aux talons, & de se mettre à table ou de prier, de Dieu avec une longue épée au côté.

§. 16.

Nulla per duellum intendi potest laedentis poena. Poena est malum physicum quod quis non nisi ob malum morale sentit. Iam ponamus victorem esse laesum, laedentem vulneratum, quid? quod occisum. Mala in hoc casu adsunt sat graua, quae vtiq; laedenti inferuntur. Sed sentit eadem mala, non quia laesit, sed qua viribus altero fuit inferior. Deinde non potest pro poena reputari malum, quod vterque litigantium subire euentualiter apud animum constituit, & cuius intuitu, antequam Duellum finitum est, non constet, laesus an laedens certaminis fiat victima. Est vtriusque litigantis par conditio, par ex vtraque parte spes, par metus.

§. 17.

Litigantes vel animum habent, vere sibi inuicem mala inferendi, vel dicis tantummodo caussa ad arma prouolant, vt heroici animi speciem praese ferant. In casu posteriori, quam deforme sit, cum irrisione audientium imitari militem gloriosum, non opus est, vt multis euincamus. Accedit vero quod & certaminis huius ludicri euentus haud raro praeter spem & opinionem sit tristissimus. Et tunc homo, sacra res, homo, per lusum & iocum occiditur. SENECA. Ep. 95. In casu priori vterque habet intentionem indirectam committendi suidium & intentionem directam vel indirectam homicidium perpetrandi. Non difficile est veritatem huius thesios euincere. Varia possunt esse vnus eiusdemque actionis consecraria; Quae agens in votis habet, seu quae agentem determinant, vt agat, directe intenduntur. Consecraria non quidem votis expetita sed aequae possibilia ac illa, & vt talia praecuisa, indirecte intenduntur. Adest consensus euentualis in eadem, si exitus votis haud respondeat; nisi enim eiusmodi consensus euentualis adesset, actio plane esset omittenda, quae edi nequit, nisi ad

adprobatis omnibus consecrariis, de quorum possibilitate constat. Iam si ad Duellum respiciamus, vterque litigantium quidem mala alteri inferre quam pati mauult. Sed neutrum fugit, quod aequè possibile sit laesiones accipere ac inferre. Laesiones ex vtraque parte possunt esse lethales. Hinc vterque euentualiter in propriam consentit inter-necionem, quae si ex Duello, sua sponte a lubente volente suscepto, sequitur, non potest non pro proprecidio haberi. Non solum vero suicidium ab vtroque indirecte intenditur, sed & homicidium aduer-sarii & quidem directe si animus adest occidendi, indirecte, si animus adest vulnerandi.

l. 38. §. 5. ff. d. poenis.

ENGELHARD peinl. Recht. §. 270.

BARBEYRACK ad J. N. & G. L. 1. C. 7. §. 16. n. 10.

§. 18.

Duella legi diuinae contrariantur, & tantum abest vt deploranda sit conditio vtriusque, si exitus Duelli sit mortiferus, vt potius soli intentioni sibi vel aduersario exitum parandi Deum T. O. M. grauiter succensere & irasci oporteat. Non solum vero legi diuinae contrari-antur, sed & in omnibus fere rebus publicis bene ordinatis, seuerissi-mae sanctiones poenales huic vindictae cupidini obuiam ire student.

l. 1. X. de purgat. vulgari.

c. 22. Caus. II. Q. V. ubi agitur de Monomachia ad purificationem.

l. 1. X. de clericis pugnantibus in Duello.

§. 19.

Quae sit Iuris Prutenici Dispositio, sequens docet schematicus conspectus Legis in perpetuum valiturae de Duellis. Pars eiusdem potissima agit de vindicta priuata, in primis de Duellis. Casus quos prouida Legislatoris cura sollicitè distinguit, sunt sequentes.

A.) Prouocatio quidem facta est, sed Duellum non sequitur. Et tunc Prouocans simpliciter;
Prouocatus e contra

- 1.) si iudicem de facta prouocatione certiore reddere negligat;
- 2.) si in Duellum consentiat, etiamsi in loco conuento haud compareat;
- 3.) si ex condicto in loco conuento compareat;

poenas

poenas dant, quae tamen pro diuersa vtriusque conditione differunt. Si enim

a.) in dignitate & munere quodam publico sunt constituti, non solum dignitate priuantur, sed & multa obtinet, in pios vsus soluenda; multae tamen poena carceris in triennium potest surrogari;

b.) Si in dignitate haud sunt constituti,

a bona vero possident,

α.) dimidiam omnium reddituum perdunt, quae aquis partibus fisco & xenodocheo loci, vbi reus domicilium habet, vel piis vsibus cedit,

β.) triennium poenam carceris luunt; si

β nullis instructi sunt bonis, sexennium ad operas in fortalio subeundas tenentur.

Si prouocans in arenam prouocare audet illos, quorum sub moderamine constitutus est, poena supra constituta duplicatur.

Prouocato denique, qui auctor rixae est, grauiorem lex poenam minatur.

B.) Ultra terminos duelli attentati contendentes progredi, & dimicationem ipsam subire ausi sunt.

Quoad hanc inspectionem

a.) idem est reatus, etiamsi ex condicto duellum domi conuentum, foras in alieno territorio suscipiatur,

b.) diuersus, qui nefandum hunc conatum sequitur, euentus, diuersam Nemese conciliat figuram, & quidem.

α.) nulla exinde secuta est mors; Et tunc delinquentes

(αα.) omni munere indigni a re publica remouentur,

(ββ.) pro diuersa conditione vel poenam carceris per decennium subire tenentur, & quidem ad hunc modum, vt duos per annos non nisi pane & aqua pascantur, vel ad operas in fortalio subeundas octo annos condemnantur,

(γγ.) redditibus honorum priuantur, vsque eo dum poena carceris durat, saluis tamen alimentis, vxori & liberis debitis, nisi hoc favore indigni sunt.

Parentes qui nefario huic, duellum subeundi, pruritui haud intercedunt, grauissimas metuere debent poenas.

C.

β.) Mors

β.) Mors secuta est

(αα) altervtrius dimicantium; In quo casu,

(ααα) quoad illum qui fato cessit,

a.) si vulnus fuerit lethale, sepultura inhonesta vel suspensio cadaveris in furca obtinet.

b.) Si vulnus non fuerit lethale, sepultura in loco inhonesto obtinet.

(βββ) quoad illum, qui victor discessit,

a.) si vulnus fuerit lethale, poena obtinet vel gladii vel suspendii,

b.) si vulnus non fuerit lethale, poena augetur, quae statuta est in duellum consummatum, nullius cum internecone coniunctum.

(ββ) Vtriusque;

& obtinet vel sepultura inhonesta vel suspensio cadaveris.

C.) Fuga delinquenti nullam impunitatis spem conciliat. Quamdiu absens est, exequutio poenae in effigie obtinet, quam comitatur publicatio bonorum. Reditum eiusdem difficilem reddit metus ipsius supplicii, quod iustitia sibi referuat vindicativa, nulla obstante praescriptione.

D.) Qui quocumque modo in hanc facinoris societatem se cooptari permittunt, grauissimis se obnoxios reddunt poenis.

E.) Inprimis qui transferendis litteris prouocatoriis operam dant, contententes armis instruunt, parastatae, auxiliares, eandem metuant poenam, quam prouocantibus lex minatur. Quid? quod qui non nisi spectatum veniunt (*) legis seueritatem experiantur. Omnes & singuli enim, qui duelli scientiam habent, etiamsi prouocanti obnoxii sunt, ad denunciationem eius iudici faciendam obstricti sunt.

A poena Duelli tamen eximitur certamen subitaneum, haud praemeditatum, haud ex condicto susceptum, cui primus motus irae vix vineibilis causam dedit, modo 1.) non sit simulatum, respicit enim iudex quod agitur, non quod simulate concipitur, & non deficiunt media inquirendi in rei veritatem; 2.) nullius cum internecone sit coniunctum. Homicidium enim tali in casu patratum pro modo culpae puniri debet.

(*) Conf. LACTANTII Firmiani INSTIT. DIVIN. Epitome Cap. LXIII. Quae de ludis gladiatorii differit, quadrant omnino in Duella "quodsi interesse "homicidio, sceleris conscientia est, & eodem facinore spectator obstrictus "est, quo & admissor; ergo & in his gladiatorum sceleribus non minus "cruore perfunditur qui spectat, quam ille qui facit.

§. 20.

Accedit in primis quoad ciues academicos, quod, quum duella in legibus academicis prohibita sint, eiusmodi digladiationibus perurii macula cohaereat, quod honestissimum suppeditat praetextum pugnam detrectandi. In nostra Albertina reuera obtinet, quod HOBBSIVS *Leuiath. c. 30.* suader, legibus scilicet duella prohibentibus & hanc addendam esse, "*ut qui nobiles sunt, aut haberi cupiunt, iuramento obstringantur, quod conciuem ad Duellum non sint prouocaturi, nec prouocati compareant.*"

§. 21.

Argumenta, quae §§. antecedentes contra duella exhibent, potissimum quidem respiciunt prouocantem, sed quum Duella ad actiones iure diuino & humano illicitas referenda sint, quae fuscipi nequeunt, nisi accedente intentione autocheiriam vel homicidium committendi, non minus prouocati, quam prouocantis intuitu omnis cessat venia, si se ad certamen sistat & voluntati prouocantis pareat. Auxilium iudicis contra eiusmodi prouocationem imploret, & praedictorum, quae duella defendunt, tyrannidi, rectam opponat rationem.

§. 22.

Sed quid, si prouocatus sit homo ad arma natus vel saltem destinatus, homo militaris conditionis? Si duellum acceptat, vitam vel quae cum illa pari passu ambulat, libertatem, saltem ad tempus in poenam, amittit; si illud declinat, viuendi causas ne perdat, periculum adest grauissimum. In genere quidem huic dubio opponi potest, quod prouocatus maiora incommoda sentiat, si se sistat, quam si duellum declinet. Si enim certamen subit, secundum opinionem vulgi quidem fortitudinis edit documenta. Sed quid iudicari potest de homine, qui diuinis & humanis iuribus contrarias edit actiones? Cum grauissimis deinde poenis vix comparari possunt commoda honoris ex duello reportata. Quid? quod si caedes aduersarii ex duello sequitur, quid iuuant misero documenta fortitudinis, quum eidem secundum seueritatem legis ingloria & cruenta morte pereundum sit, vel, quum, si hanc euitare potest, & nondum caetero vsq. est conscientia, vita viuenda sit, quae duriores ipso supplicio habet conditiones, ad eum modum, vt mors ipsa esset solatium. Si certamen declinat, secundum opinionem vulgi quidem pro homine formidoloso, ad genus vitae,
cui

cui se addixit parum idoneo habetur. Sed sanus quisque haud ignorat, veram fortitudinem quiescere & dormire, si nulla adsit causa, ut sui documenta edat, quum e contra emergat & pleniori luce corruscet, simulac dignum animo heroico adest theatrum.

Sic Philaletho de duellorum iniquitate conuicto, sed praeiudiciorum tyrannidem metuenti respondet Philosophus. "Je rends hommage, me dit Philalete, à la iustice de vox maximes, au fond ie tombe d' accord avec vous; mais ie suis perdu dans le monde, si j'en crois vos conseils & ceux de ma conscience, je ne puis plus paroître avec honneur, & l' honneur m' est plus cher, que la vie. Quoi toujours l' honneur mal entendu. L' honneur peut il donc jamais être en contrariété avec la droite raison? Eclairé par sa lumiere, vous convenez, que la vengeance est vne foiblesse, vne veritable lâcheté, & vous persistez à vouloir vous venger pour l' intérêt de votre honneur. Osez brauer l' erreur publique. Craignez vous, qu' on ne doute de vôtre courage: eh bien, allez le signaler par des exploits utiles & permis. *Les MOEVRS pag. 213.*

Conf. etiam CARPZ, P. R. C, P. I, Q. 29. N. 72.

Jd. P. II. Q. 25. N. 72. BOEHMER OBS. ad l. all.

Sed quum haec Philosophia ymbratilis & cathedratica sit, vix genio seculi accommodata, optandum sane esset, ut aliis remediis huic obuiam iri posset malo. Specimen legislatoriae prudentiae exhibent LL. Mosaicae, in simili argumento, quod vindictam Goëlis caedem cognati vindicaturi concernit. JO. DAV. MICHAELIS *comment. posterior. ad*

LL. div. de poena homicidii §. 24. & seq. Ej. *Mosaisches Recht*
P. II. §. 131. seqq.



www.books2ebooks.eu